



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio1. An qui preces Deo fundit cum proposito actuali peccandi
mortaliter, novum orando peccatum committat? & quid si voluntariè
distractus recitet?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

& Theophylum in lib. sub nomine Emonerii edito, cap. 12. & 14. existimare, plebsque ex prædictis Patribus ex-
culari posse, quod mendacium vocent etiam oratio-
nem habentem tacitam mentis limitationem. Fate-
or, si viri alii doctissimi ex quibus fuit Augustinus,
de aperto mendacio, & simulatione ex causa legiti-
ma eos intellexerunt, ideoque acerrimè impugna-
runt, quod secus fieret, si Lessii, & Theophyli piam
interpretationem admisissent.

DISPUTATIO SECVNDA.

De Horis Canonicis.

QUÆSTIO PRIMA.

*An qui preces Deo fundit cum propo-
sito actuali peccandi mortaliter, no-
rum orando peccatum committat?*

1. In hac disputatione unum supponitur, & alte-
rum discutitur; supponitur, ut indubitatum, propo-
situm a actuale peccandi lethaliiter esse pecca-
tum mortale; dubitatur, an huiusmodi peccatum cõ-
comitans sit circumstantia vitians orationem, ita ut
oratio ipsa sit peccatum mortale: P. Thomas Sanchez tom.
2. opus. Moral. lib. 7. cap. 2. dub. 9. docet, ut assulet,
rem hanc attingit, & resolvit. Primò inquit: * An
qui ex Ecclesiæ præcepto tenentur ad Horas, pec-
cent, si in peccato mortali eas recitent? * Et in hac
parte, cum communi Doctorum sententia, negat
contra Adrianum Quodlibeto octavo: putat enim, &
merito, nullam intervenire reverentiam in eo, quod
inimicus Dei, seu in peccato habituali permanens,
oret, & beneficia impetrare intendat, à Deo offenso,
licet posset ante orationem ad Deum converti, ut
dignus ad orandum accederet.

2. Hinc ad aliam questionem à paucis attactam,
gradum faciens, inquit: * An saltem peccaret ip-
somet oratione, & recitatione, si oraret, aut recitaret
actu peccans, vel actuale propositum peccandi
habens? * Et in hac difficultate Doctores dissident.
Prima sententia affirmat, cum Joanne de Medina
Doctore Complutensi Cod. de orat. tract. 6. quæst. de
modis, quibus oratio depravari solet, ubi fol. 177. Sic
scribit: * Si orans sit in peccato, scilicet, actu peccan-
do, vel actu proponendo peccare, & Deum offende-
re, peccat, sic orando. Nam apertum est, cum mag-
nam irreverentiam Deo facere; petendo beneficium,
& gratiam ab illo, quem actu offendit, & offendere
intendit: talis enim, non orare, sed contemnere vi-
detur, orando, petens à Deo audiri, cui tamen ipse
non vult obedire. * Sic Medina, qui tamen culpæ
quantitatem non determinat. Sed Corduba lib. 1. q.
10. in 3. & 4. punct. dicit, esse peccatum veniale.

3. Contrariam tamen sententiam tenet Navarro
in Manual de oration. & Horis Canonicis, continente
commentarium in cap. Quando stamus, de consec. dist. 1.
Ubi cap. 20. num. 23. contra Medinam, quem
libere refert, sic ait: * Ambo asserimus cum omnibus
aliis, orationem non fieri malam, eo quod orans so-
lum sit in peccato mortali: limitat tamen ipse, hoc
non habere locum in peccatore, qui non abstinet,

nec proponit abstinere à peccato, ob magnam irre-
verentiam, quam committit, petendo ab eo, cui non
vult obedire. Quæ quidem limitatio non videtur
nobis bona, tum ob illa, quæ supra num. 12. in aliud
propositum allegavimus, &c. Tum quia, ut defec-
tus propositi abstinendi à peccato, ita voluntas
peccandi, & perseverandi, non repugnat voluntati
recitandi, & orandi Deum, imò se mutuo compati-
untur, sicut actus virtutis compatitur secum pecca-
tum mortale. * Et in margine: * non enim repug-
nant sibi mutuo, per ea, quæ tradit Div. Thom. 2. 2.
q. 24. art. 12. Pro quo text. in cap. pium. de Penit. dist. 3. Ha-
ctenus Navarrus.

4. Hanc sententiam tanti Doctoreis patrocinio
munitam amplexus est Thom. Sanchez tom. 2. consil.
lib. 7. cap. 2. dub. 2. dicens: * Tertia sententia asserit,
non peccare, qui recitat ex præcepto in peccato mor-
tali, & cum proposito actuali peccandi mortaliter.
Ratio, nam voluntas colendi Deum, & petendi ali-
quid ab eo stat cum actuali peccandi proposito: si-
cut stat, facere opus moraliter bonum, ut jejunare,
cum actuali proposito peccandi. Ita tenet Navarrus
reprobans sententiam Medina cap. quando. cap. 6. &
cap. 20. n. 25. & hæc sententia est verior. * Sic Sanchez.

5. Idem sentit Diana contra Sylvium part. 6. tract.
7. Miscellan. resol. 36. Nam licet solum intendat, statu-
ere, non esse peccatum mortale, approbat tamen
sententiam Navarri, & Patris Sanchez, dicens: *
Sed quid quid asserat Sylvius, si quis orat, non so-
lum in peccato mortali, sed etiam cum proposito
actuali, & voluntate peccandi mortaliter, non pec-
cat: ut docet Thom. Sanchez in opus. tom. 2. lib. 7. cap.
2. dub. 9. n. 3. & alii. *

6. Quorum sententia fundamentum est, quod
qui ob divinum testimonium credit, v. g. culpam
gravem esse dignam pœna æterna, licet simul pro-
ponat committere adulterium; hoc propositum non
vitiat fidem, nec peccat credendo: ergo similiter non
vitiat orationem, nec peccabit orando. Probat: quia
ut ex Angelto, notat Vazquez 1. 2. quæst. 18. art.
3. Circumstantia alicujus actionis dicitur, quæ eam
aliquomodo respicit: * Si circumstantia, inquit,
aliqua solum comitatur actum, nec ipsum illum mo-
do afficit, non potest ad malitiam, aut bonitatem
actionis pertinere; exemplum est, cum quis facit opus
aliquod ex uno fine pravo, & simul aliud opus non
ex illo fine: nam respectu hujus operis pravi finis
non est circumstantia, sed respectu prioris: idem de
aliis circumstantiis, eadem servata proportionem di-
cendum est. * Ergo cum propositum peccandi
lethaliiter sit circumstantia, quæ solum comitatur o-
rationem, sicut, & actum fidei, & auditionem sacri,
non est cur potius illam, vitet, quam alios actus: er-
go non repugnat honestè velle Deo cultum per au-
ditionem sacri, cum proposito adulterandi: cur ergo
oratio licita, & honesta cum illo pugnet. Et sanè
difficile creditu videtur, eum qui in discrimen ad-
ulteri se proicit, non possit licitè Deum simul ora-
re, ut ab imminente corporis, & animæ mortelibe-
retur: & eum, qui præ fragilitate carnis, est in propo-
sito peccandi, nequire licitè auxilia petere ad ingres-
sum Religionis, ut deinceps se tutum reddat ab oc-
casionibus libidinis. Nec parum his favet Magister
Petrus de Ledesma in Sum. tom. 1. de Sacram. Eucha-
rist. cap. 11. concl. 5. Ubi docet, affectum actuale pec-
cati venialis non vitare susceptionem Eucharistiae:
* No peccat (inquit) venialmente el que llega a este
Sacramento con conciencia, y afecto de pecado ve-
nial; porq; no es contra precepto alguno, ni impor-
ta ir-

ta irreverencia ninguna. * Cujus sententiam tenent Major, Adrianus, Curiel, Vivaldus, & alii, quos citatos sequitur Joannes Sanchez in *selectis* disp. 22. num. 9. ibi: * Cum peccato veniali, quod comitantur in ipsa perceptione Sacramenti committitur, ad Eucharistiam accedere, nullum peccatum, etiam veniale sacrilegium est peculiare, & novum, præter ipsum, in quo quis accedit. * Ergo similiter præter peccatum lethale, quod comitantur, quando quis orat, committitur, nullum peccatum, etiam veniale sacrilegium peculiare, & novum interveniet, quia eadem ad utrumque excusandum militat ratio ex principiis supra dictis petita.

7. Hæc sunt, quæ militant pro Navarri sententia, cui licet nulla in contrarium demonstratio obstat, nec aliquid contra bonos mores ex illa deducatur, nihilominus nunquam ei assentire potui: quia ex terminorum apprehensione, nescio quid peculiaritatis rationi dissonans, in oratione, statim occurrit, quod ab irreverentiæ labe purgare, difficile sit. Imò nescio quandam contemptum effigiem præfert, utno, & eodem tempore, Deum graviter offendere, & beneficia simul ab illo petere, quam alii virtutum actus ex confortio lethalis peccati non participant. Et ut magis innotescat, rogo, si dum quis, a creditore debiti remissionem oraret, eidem simul alapam infligeret, nonne talis deprecatio injuriola etiam haberetur? Beneficium enim petere eo ipso tempore quo offensam irrogatur, ex duplici capite personæ vilipensio censetur; scilicet, quia non solum alapa exterius percutitur, sed & petitione ipsa interius offenditur; eo quod tunc temporis beneficium petat, quo non solum accipiendi indignus sit, sed ab acceptis spoliari mereatur: confirmo alio exemplo, si mulier dum in adulterio actualiter deprehenditur, torquem aureum a marito peteret, quis negaret, petitione ipsa illum continere; ideoque, & novam offensam superaddere? ergo & in nostro casu idem dici debet, cum urgentior sit ratio, ob dignitatem infinitam personæ offensæ, & vilitatem offendentis. Licet ergo peccatum actuale alios virtutis actus non vitiet, eo quod respectu illorum non sit circumstantia: secus respectu orationis dicendum est, quia ex natura rei, peccatum actuale circumstantia illius est, & major longè, quàm distractio, quam peccati venialis communiter Doctores damnant. Hoc argumentum magni ponderis est.

8. Sed magis urget contra Sanchez, quia eodem caput. 2. dub. 31. asserit, orationem absque attentione requirit esse peccatum veniale. * Quia ipsa, inquit, ratio naturalis dicitur, esse contra reverentiam Dei, cum quo agimus; sicut qui loqueretur, cum Principe aliquo terreno, & non attenderet ad id, quod loquitur, faceret ei injuriam, & hæc sententia videtur mihi certa. * Quis autem dubitet, ipsam etiam rationem naturalem dicitur, esse contra reverentiam Dei, beneficium petere, dum actu injuriatur. Ergo licet actus alii virtutum non inficiantur actuali peccato comitante admissis; quia nulla ex conjunctione illa irreverentia contra Deum refultat; aliter de actu orationis dicendum est, ut ex apprehensione terminorum innotescit.

9. Rogabis, an qui ex præcepto Ecclesiæ ad Horas Canonicas tenentur, peccatum mortale committant, si absque attentione interna voluntariè distracti recitent? Respondeo, satis probabile esse non peccare mortaliter, si externè nil operentur cum attentione interna impossibile. Quod tenent plures apud Dianam 2. p. 12. res. 11. & part. 7. tr. 11. & a-

put Leandrum tom. 2. de Sacram. tr. 6. disp. 17. quæst. 13. & tom. 6. tract. 8. disp. 4. quæst. 2. Quos sequitur Joann. Valerius in *diff. aris* quæst. for. ver. Hæc Canonice. diff. 1. Ubi viginti Doctores referunt. Quibus cum aliis adheret Illustriss. M. Acatius de Valasco Episc. Oriolensis tom. 2. res. 1. Moral. ver. Hæc res. 54. qui pro hac sententia dicit stare, D. Antonius, & Sylvestrum, eorum verba fideliter exhibens. Quæ ex ipsis a me excerpta in gratiam lectorum placuit hic affluere.

10. Igitur D. Antonius 3. part. tit. 13. §. 7. sic respondit. * Queritur utrum attentio in Horis dicitur necessaria? Respondeo: quamvis aliqui dicant, quod sic; ita quod in eis non habens cor ad Deum, sed ad exteriora mortaliter peccet, &c. benignior tamen est sententia, quod in præcepto est Horas dicere. Sed alia quæ in devotione committitur, suadendo dicuntur. Et hunc intellectum tenent, quia benignior est, &c. Assignat Umbertus attentionem, quia scilicet, cum hoc sit præceptum de jure positivo, non refertur, nisi ad ea, quæ sub judicio humano cadere possunt, & ista sunt, quæ exercentur per actus exteriores, non autem per interiores. * Iterum §. 8. * Si evagatio, inquit, est advertere, de solum secundum actum interiore, licet temeraria, & gravis foret, non tamen mortale, nisi propter contemptum, sed si evagatio sit ex hoc, quod aliquis scienter se occupat in actu exteriori, qui non secum patitur attentionem, videtur esse culpabilis. * Hæc D. Anton. Cui in hac parte consentiunt Sylvest. verb. Hora, quæst. 11. num. 13. ibi. * Ideo dico et mente D. Thomæ, & Petri de Palude, quod præceptum devotio, quantum ad actum exteriorum, utrum dicantur Horas operando manualiter opera impertinentia, aut confabulando, aut notabiliter inoccupando: Et si similiter quantum ad actum interiore, sine quo iste exterior haberi non potest, consilios est velle satisfacere præcepto, aut psallendo velle abstinere a prædictis. Non autem attentio, sine qua prædicta esse possunt. * Sic citati Doctores, quos de Illustriss. Acatius ex eodem Instituto refert Amadeus in opuscul. tract. de Hor. Canon. prop. 3.

11. Dices Vincentium Baronium pro opinione contraria hos auctores stitisse contendere, & vel ex hoc carpere Amadeum, quod contentum est in fidei retulisse testimonia, noluit indicare eorum libros, ratus, ut res erat, his lectis calumniam in ipsius caput casuram. * Et se legisse patet. Antonium, & Sylvestrum, quibus falso præsumitur opinionem affingi dicit: Sic disp. 2. sect. 1. §. 2. fol. 20. Sed hinc, amice Lector, bonam Baronii fidem agnosces: homo distractus legit. Nec miror, cum & Amadeum, cujus auctoritatem elevare moliebatur, vellent legere, non vacaverit. Et ne longius abeam, utentè legere, non vacaverit. Et ne longius abeam, ut hac ipsa questione, plura sunt specimen. Primum quia illi affinxit pro sententia D. Antonii, & Sylvestri adduxisse Cajetanum, & Sotum: cum tamen Amadeus eorum non meminerit. Secundum: quia impugnat usum fuisse communem illo argumento. Nepe * Ecclesia non potest præcipere actus interiores, &c. * de quo nec verbum apud Amadeum. Tercium: quia cum apud eum legisset opinionem Petri de Soto, lib. de Instr. Sacerd. tract. de vite Sacerd. lib. 4. res. 1. Nec illud, excusantem ab obligatione recitandi, nec sententiam beneficiarum, non recitantem Officium Divinum, in Amadeum Baronius insurgens, cum illa vindicare tentans, his verbis: * Quod Sotus (inquit) in questione citata, articulo 1.º, in hoc statuit, omisso pensu Horario, non esse committendum

beneficium restituendos, si impleri fuerint alia onera, &c. Hæc Baronius, & verè quidem excerpta; sed non ex Petro de Soto, quem refert Amadæus, sed ex Dominico de Soto lib. 10. de iustit. quæst. 5. art. 6. Dominicus enim fuit, qui libros de iustitia in quæstiones, & articulos digessit, Petrus verò in tractatus, & electiones (Qui in hac de qua agitur, cautè legendus: est enim novissimè, ut scandalosa damnata, & prohibita ab Alex. VII. die 24. Sept. anno 1665.) Quartum, nam cum Amadæus purum relatorem agens, duas traduxisset opiniones, aliam concedentem Beneficiario studii litterarum vacanti Officium Divinum suo nomine recitandum alteri committere. (Quæ iure etiam postea damnata fuit ab Alex. VII. ubi supra) Aliam, quæ oculis caligantem, ita ut legere nequeat, exsolvit ab onere: harum opinionum autorem, eo quod refert, illum fingit. Et quod omnem admirationem superat, post tot calumnias, quales de tot in una quæstione triumphis reportatis, sibi plaudens, fol. 204. concludit: *Sed nullus hic finis est falsitatis.* O Baron! rectè iudicasti, sed Amadæi causam egisti. Ex ore tuo re iudico. Plures omitto, aliquid enim viro maioribus distracto condonandum. Hoc spicilegium, in uno ejus paragrafo feci, ut candidus lector inde colligat, quàm copiosam in aliis segetem messoribus reliquam.

QVÆSTIO II.

Virum Regulares satisfaciant præcepto recitandi Horas Canonicas, si mentaliter tantum recitent?

1. Sententia affirmativa plures habet patronos: Quia ex privilegio Leonis X. id competere Regularibus, est apud doctissimos sanctum, M. Ludovicum Lopez. *part. inst. cap. 102. §.* Tercio advertendum. Si mentaliter dicant, cum soli recitant, prædicti Religiosi satisfaciunt, cum prolatio exterior sit, ut ab aliis intelligatur. Ubi supra, verb. *Offic. Divinum concessio. 9. in dict. compend. privilegiorum.* * Sic ille, quem sequitur Mag. Joann. de la Cruz in *Epitom. lib. 2. cap. 8. dub. 2. ibi.* * Prima conclusio: Religiosi possunt mentaliter, aut legendo intra se per librum recitare horas, & alia, quæ in officio Divino, utpotè in communitate celebrato, & in Missa, præcipiuntur dici secreto, sub silentio. Ita concessit Minoribus Leo X. inter viva oracula, num. 12. ut testatur Cardinalis Quatuor coronatorum. * Hujus privilegii verba adducit Manuel Rodriguez tom. 1. quæst. Regul. quæst. 42. art. 4. dicens cum Navarro de orat. cap. 29. num. 88. dictum privilegium ibi contineri, quatenus dicitur: sufficere, dicere mentaliter absque ulla voce secreta, vel publica.

2. Idem tradunt Fr. Sanctiorius à Mellis in *comment. in consil. Minor. stat. 2. dub. 7. ibi.* * Cum soli recitamus, possumus totum officium mentaliter dicere, cum prolatio verbalis, ut idem Pontifex dicit, sit præcipue, ut ab aliis intelligatur. * Thom. Hurtado tom. 1. *variar. resol. Mor. tract. 3. cap. 1. resol. 9. ibi.* * Hoc privilegium referunt, & approbant Emanuel Rodriguez ubi supra art. 4. Villabos in *Sum. tom. 1. tract. 24. diffic. 10. num. 11.* Miranda in *Mannali, quæst. 37. art. 17.* dicens hoc esse amplissimum privilegium valde conducens pro scrupulosis fratribus. * Ex quibus, num. 43. concludit. * Igitur sententia Sanctiorii in *comment. in consil. Minor. stat. 2. dub. 3.* quàm præter

Pars II.

citatos, tenet Navarrus de orat. cap. 19. num. 88. Quod regulares satisfaciant pensui officii Divini, ex vi hujus privilegii, probabile est, & in praxi securum, (quidquid dicant Cyprianus Capuccinus, & Lezana) non enim hoc privilegium revocatum est à Gregorio XV. & Urbano VIII. quia per Bullam confirmatum est à Pio V. sicut & cætera omnia viva vocis oracula ante ipsum concessa. * Hæc Hurtado.

3. Hanc sententiam esse probabilem multis suadere conatur perdoctus Fr. Ludovicus à Conceptione in *Exam. Verit. tract. 2. de Res. cas. 6. num. 2. fol. 133.* * Licet per librum, inquit, visu non discerneret, sed memoriter tantum, & mentaliter, existimo adhuc implere præceptum de recitando officio. * Quod probat, quia non videtur, posse dubitari de tali privilegio. * Nec obstat, quod per Pontifices Gregor. XV. & Urbanum VIII. fuerint revocata viva vocis oracula, quia ante Gregorium XV. confirmata fuerunt privilegia viva vocis oraculo concessa, & hoc in scriptis, per quem modum confirmandi, desierunt esse viva vocis oracula, & in speciales, scriptasque concessiones transierunt. * Sic ille.

4. Idè ut probabiliorè amplectitur ex eadem familia Rever. P. Fr. Leander à Sacram. tom. 2. tract. 6. disp. 13. quæst. 19. ubi sic. * An saltem Regulares possint ex particulari privilegio privatim totum officium divinum recitare mentaliter? Negativè respondent Lezana, & Cyprianus Capuccinus, &c. Sed probabilius respondeo, posse Regulares, quando in particulari soli recitant, totum officium mentaliter recitare, & sic satisfacere suæ obligationi. Ratio est, quia hoc privilegium de facto fuit concessum à Leone X. viva vocis oraculo, ut docent etiam Lezana, & Cyprianus, & alii Doctores contrariæ sententiæ, & non est revocatum, &c. Quia dictum privilegium confirmatum est per Bullam Pii V. sicut & cætera omnia viva vocis oracula ante ipsum concessa. Ergo comprehendi nequit revocatione viva vocis oraculorum. Sic Sanctiorius, cujus opinionem amplectuntur Rodriguez, Miranda, & Villalobos citati. * Sic ibi, & iterum tom. 6. in Decalog. tract. 8. disp. 4. quæst. 45. subnectens. * Quibus nunc addo Alcanium Tamburinum de jure Abbatum *disput. 10. quæst. 9.* & Thomam Tamburinum de Societate Jesu, quem refert Diana pro hac parte p. 10. tract. 11. resol. 1. & Petricum de Horis Canonicis cap. 2. dub. 4. * Hæc Leander.

5. His accedunt plures doctissimi, quos refert Diana p. 9. tract. 7. resol. 61. & p. 10. tract. 14. resol. 24. & p. 11. tract. 6. resol. 45. asserentes, in revocatione oraculorum facta à Gregor. XV. anno 1622. & ab Urbano VIII. anno 1631. non comprehendi illa, quæ ante hos Pontifices fuerant confirmata per Gregorium XII. & Paulum V. utpotè qui per Bullas speciales omnia privilegia Minorum confirmant, & innovant. Quod in terminis tenent Leander à Murcia Capuccinus, Franciscus de Lugo, Marcus Vidal, Pellizarius, Possentius, Stracius, Martinus de S. Joseph, & Joannes de Soria, & putat probabile Lezana in *Quæst. Regul. cap. 3. n. 21.* Qui proinde nequibit negare, probabile esse, præfatum Leonis X. viva vocis oraculum non esse modo revocatum, sed in suo robore permanere, atque adeo omnes Regulares, qui privilegiis Minorum communicant, posse prædicto privilegio recitandi mentaliter privatim uti. Quod quidem habetur in *supplem. fol. 59. concess. 170.* & refertur in *Compendio verbo, Officium divinum §. 9.* Adverte tamen Jesuitas eo uti non posse de facto: quia à Rev. P. Generali non est nobis communicatū, prout

T 2

prout